

157.

I 155.

Oswald Myconius<sup>1)</sup> an Vadian.*Zürich. 1519. Juni 22.*

Freude über die glückliche Rückkehr Vadians in die Heimat. Sehnsucht der dortigen Bekannten nach ihm. Bericht über seine Stellung in Zürich und ein Anerbieten der Luzerner. Übersendung seiner Schrift an Vadian.

S(alutem). Gratulor patriæ tuæ, immo<sup>a)</sup> Helvetiæ, gratulor amicis tuis omnibus, quod incolumis rediisti, Ioachimè amantissime; gratulor tandem et mihi, quod de reditu tuo tam cito abs te sum factus certior. Hinc enim video, quam nondum tibi exciderim, quod in primis semper optavi et adhuc opto. Aliquid est, uno atque altero tantum die serius quam patria animadvertisse adventum tuum; signum profecto amoris (ita animum induco) non mediocre. Divulgavi rem<sup>b)</sup> statim, ubi acceperam, apud omnes, qui te noverunt, et neminem inveni non maximo perfusum gaudio, atque eo magis, quod ferme dubitavimus de te, qui ultra terminum statutum es moratus, et nihil prorsus habuimus certi, vel ubi esses aut quam feliciter viveres, aut an aliquid in itinere tam longo prosperi vel adversi obtigisset. Hæc enim summa pæne<sup>c)</sup> est disputationis, quam contulimus, quotiescunque convenimus Iacobus Grebelius senator, BINDERI pater et ego. Non pauci occurrerunt, qui, ubi cognoverunt te advenisse, optarunt continuo, ut hic esses et perpetuo hic esses. E quibus primus est ZINLIUS noster, evangelista apud nos. Non credis, quantum homo gavisus sit literis tuis visis. Amat te et ardentè amat, gratulatur adventum tuum miris modis. Scripsisset<sup>d)</sup> tibi, ni negotiorum<sup>e)</sup> undis totus esset obrutus, de quibus alias. Lætatur tota domus mea, in primis uxor et filiolus; hic enim epistolio tuo, quod puellula adportarat, conspecto ad me quam celerrime percurrit atque εὐαγγελίου præmium petiit. Idem pæne<sup>e)</sup> omnes post hunc fecerunt discipuli domestici. — Præterea vis scire conditionem meam. Versor adhuc Tiguri ut prius. Adjudicarunt mihi nescio quid Lucernani sponte; verum quia ingenio et viribus meis plus satis tenuibus non admodum competit, dubium est, an sim recepturus. Ea vero res tam hic emanavit, ut timendum sit, duas sellas mihi adornatas. Rem ego fortunæ, id est deo committo. Cessit prospere cum libello meo, si hæc prosperitas est, quod in luce est. Hunc ad te mitto, utpote qui pro me te salutet, excipiat, amplectetur (!), deosculetur preceturque tibi omnia prosperrime et roget tandem, ut quemad-

modum hucusque memoriam mei pulcherrimam habuisti, ita ne posthac obliviscaris eius, qui adeo te amplectitur. Interim vale et me semper habeto commendatum. Salutant te mei plurimum uxor et filius; tum vero Zinlius optat, ut aliquando detur nos tua præsentia frui quoquo modo. Iterum vale, decus meum et Helvetiæ ornamentum. Tiguri, decimo Kalendas Iulii, anno MDXIX.

*Myconius tuus.*

Domino Ioachimo Vadiano, viro multiscio, medico, oratori et poetæ laureato, amico in primis observando.

Ad Sanctum Gallum.

a) „imo“. — b) „reto“ mit Abkürzungszeichen. — c) Durchwegs „e“ für „æ“. — d) „Sripsisset“. — e) „negociorum“.

l) Vrgl. I, Brief 105.